





DOCTRINAE  
DE  
**SOLIDO VIVO**  
ORIGINES,

1799/4  
UT  
CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE HALENSIS  
SUMMOS IN  
MEDICINA ET CHIRURGIA  
HONORES  
LEGITIME ACQUIRAT,  
DIE XXIX MART. MDCCXCIX,  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
OFFERT  
AUCTOR  
DIDERIC. LEOPOLD. ZIMMERMANN,  
CURONUS.

HALAE,

EYPIS TRAMPIANIS,

COLLIGO AVIA

D O C T R I N A E  
DE  
S O L I D O V I V O  
O R I G I N E S.

1.

Eius doctrinae primas origines signare et enumerare mihi sumi, quae vitam eiusque functiones, ut et morbos plerosque, e partium solidarum actione stimulo externo excitata produci statuit, quae itaque neque ad peculiare aliquod principium vitale, neque ad fluidorum mixtionem, neque ad processus quosdam chemicos, neque ad mechanicas dotes partium solidarum respicit, ut vitam et actiones eius explicet. Ea doctrinae ratio solida corporis ita esse constructa censet, ut vel mere ab externis rebus affici et mutari possint, vel vera vi activa interna gaudeant, quae etiam absque externarum rerum efficacia suas edere actiones possit.

A

2.

Quamvis haec oeconomiae animalis theoria a veteribus iam coniectura omnino divinata fuerit, ita tamen corporis activitatem intellexerunt, ut materiem quamdam subtilem, igneam eam, vel aëream, vel aetheream, in medium proferrent, quae actus sua vi totum corpus perflans in motus et sensus illud cieat. Calidum illud innatum per multa saecula in scholis medicorum dominabatur, donec chemia caput tollere inciperet, quae alias detectis principiis actus suis, fulfuri et mercurio eam provinciam delegavit, ut corporis functiones producerent.

Quemadmodum autem veteres, qualitatibus suis occultis contenti, minime elegibus naturae easdem tanquam peculiares vires adsequi, sed ad eas velut ad ignorantiae asyla refugere studuerunt; ita chemicorum praeteriti saeculi scholae agere naturam, agi vitam hominis instrumentis chemicis crediderunt; his folis excitari, dirigi, augeri, minui, sopiri motus omnes, quorum varietate universi totius et corporis humani effecti fieri possent, absque his nihil, adeo inculcatum fuit, ut academiae haec resonarent, et in

in omnibus medicorum scriptis unum hoc  
laudaretur.

## 3.

Eorum chemicorum doctorum princeps  
fere saniores tamen protulit opinionem de po-  
tentia partium solidarum, quae ab externis in-  
citamentis afficiatur. **HELMONTIUM** enim, ho-  
minem, de cuius fama multum detraxit poste-  
riorum calumnia et negligentia, **HELMON-**  
**TIUM**, quem tot homines rident, qui nun-  
quam ipsius scripta legerunt, eum habeo au-  
ctorem verum doctrinae de solidarum par-  
tium potentia. Nolo vero exspatiari in com-  
mentum eius de archeo totum corpus regnan-  
te, toties decantatum et irrisum; is enim ar-  
cheus peregrinum aliquid, nec corporibus  
vere innatum est, sed unum idemque cum  
anima vegetativa ab ipso putatur. Accedit,  
**HELMONTIUM** disertis verbis fateri, quod  
archeus non reagat, non afficiatur ab exter-  
nis incitamentis, sed quod ipse sua sponte  
agit et moliatur ea omnia, quae vitam con-  
servare et sanitatem restituere possunt <sup>1)</sup>.  
Haec autem activa et spontanea vis solidor-  
um commutari haudquam potest cum

A 2 inci.

<sup>1)</sup> SPRINGER'S Geschichte d. Arzneyk. Th. IV. S. 353.

incitabilitate recentiorum, quippe quae potentiam veram complectitur, cuius ope solidae partes externis rebus afficiuntur 2).

## 4.

Neglecta itaque de archeo doctrina, quae proprie hoc non pertinet, alium locum HELMONTII proferendum duco, qui solidi vivi cognitionem ipsi tribuendam esse docet. De pleuritide enim loquens, carpit scholarum doctrinam, totamque huius morbi rationem versari in stimulis externis pronunciat. Id autem ita exprimit: „Ego in pleuritide considero primum motorem internum sive calcar, ac deinde laceratorem pleurae.“ Ultimum comparat cum spina digito forte impulsa, quae insignem inflammationem produce-re potest. Eam spinam peregrinam, ex aere plerumque illabentem tanquam caussam therapeuticam inflammationis habet, qua evulsa morbus cessat, unde itaque sanguinis missio nequaquam commendanda est 3). Hinc etiam culinam seu sedem pleurae non in succingente

mem.

2) RÖSCHLAUB's Untersuchungen über Pathogenie, Th. I. S. 235.

3) HELMONT pleura furens, in ort. medic. p. 320. (4. Amt. 1648.)

membrana, sed in musculis intercostalibus quaeri. Quae quidem loca ostendunt, et meliorem rationem inflammationis ab HELMONTIO effectam et solidarum partium vitam seu potentiam agendi perspicacius intellectam fuisse, quam a maioribus ipsius. Unicus tamen is locus haud potest totum HELMONTII sistema alia facie induere, sed tantum abest, ut cum hac vera idea aliae doctrinae ipsius partes congruant, ut potius longe diversam hae supponant et spiritualem quidem theoriam.

## 5.

Post HELMONTIUM vero primus Franciscus GLISSONIUS, professor Cantabrigiensis, deinde praeses collegii medici Londinensis, *irritabilitatis* nomen invenit, velut activitatis muscularum rationem internam. Primum hanc vim descriptis in tractatu *de ventriculo et intestinis*, deinde vero in raro libro *de natura substantiae energetica*, ubi actionum, quas exferunt fibrae, varietates et differentias clare evincere earumdem irritabilitatem ostendit. Hanc autem supponere perceptionem et appetitum, ut de novo fibra excitetur. Data vero perceptione appetitus et motus lege naturae consequentur, ita ut

de-

declaratio folius perceptionis fibrarum ad eorum irritabilitatem exponendam sufficiat. Perceptionem ad fibrarum motum spectantem, in tres species distinguit.

Prima, *naturalis*, ea est, qua fibra alterationem sibi illatam, sive gratam, sive ingratam percipiens ad eam appetendam vel fugiendam et conformiter ad se movendam excitatur. Hanc naturalem perceptionem a sensu plane alienam habet, quum et in iis adsit organis, ubi nulla sensus suspicio. Cordis pulsatio nec sensu peragitur, nec variatur. Fibrae cordis, virtute micationis vitalis sanguinis in eius ventriculis contenti, per vices irritatae excitantur ad se contrahendas, et pulsationem faciunt; mox irritatione remissa relaxantur et naturalem partium positionem repetunt. Nullus hic sensui locus, quum pulsationes haec aequae inter dormendum, quo tempore sensus feriantur, ac inter vigilandum, exerceantur. Accedit, intestina et musculos animalium recens mactatorum, ut acribus liquoribus aut acibus tanguntur, sese contrahere, variosque edere motus, unde elucere recte putat **GLISSONIUS**, absque sensuum auxilio fibras posse stimulos percipere et abiis affici 4).

6.

4) **GLISSON.** de ventricul. et intestin. tr. II. c. 7. p. 168.  
170. (12. L. B. 1691.)

Secunda GLISSONII perceptio est sensitiva, quae, cum nervis proprio tribuenda sit, ad irritabiles fibras etiam non pertinet, neque tamen eo minus irritari fibras naturales ope sensum statuit. Sensit itaque ante BROWNUM, internas animi perceptiones et sensationes ipsas esse stimulos aut incitamenta, quibus irritabilis fibra commoveri et ad actus disponi possit. Hinc etiam voluntas et imaginatio caussas praebent certo respectu externas, id est, non fibras irritabili inherentes, quibus fibra in motum agitur <sup>5)</sup>.

Quae quanquam manifesto docere videantur, veram theoriam, quae ab initiatore dicitur, GLISSONIO jam fuisse notam; non pauca tamen obstant, quominus ipsum verum auctorem nuperrimae illius theoriae faciamus. Quodsi huic repugnat spirituum animalium <sup>6)</sup> existentia, GLISSONIUS omnino excludendus est ab iis, qui initiatonis doctrinam protulerunt. Etenim spiritus animales is omnino statuit, tanquam medios inter animi actum et motum membrorum. Eos vero haud volatiles esse, quum alioquin

cere-

5) II. et c. 8. p. 186.

6) RÖSCHLAUB I. c. p. 230.

cerebrum turbarent, nec exhalare ex humoribus, velut acres humores, ubi laceferent nimis et inquietarent partes, nec fermentarios esse: tum enim facile confunderent et eliquerent compagem cerebri. Reliquum itaque putat, ut spiritus animales sint mites, placidi, sedati, fixi, dulces, nutrientes, corroborantes, conlidantes, ut simillimi sint spiritibus in ovi albumine nidulantibus. Nec tamen fluxum et refluxum spirituum statuit, nec inflari iis muculum, dum in motum cieatur, sed nutriri iis partes et agere, tanquam baculus altero fine pulsus, ubi alter finis pulsionem percipit.

Largitur praeterea GLISSONIUS, alias etiam partes corporis praeter fibras, nimurim ossa, adipem, medullam, parenchyma irritabiles esse, sed eas vix naturalem admittere perceptionem. Tota itaque constitutio corporis ab ipso irritabilis creditur, unaque potentia ipsius omnibus partibus eodem modo inhaerens <sup>7)</sup>.

Excipit Glissonium Gualtherus CHARLETON, medicus Londinenis <sup>8)</sup>, homo sibi non

7) GLISSON l. c. c. 9. p. 195. f.

8) SPRENGELS Gesch. d. Arzneik. Th. IV. S. 53. 117. f.

non fatis constans, HELMONTII adsecla et CARTESSI, tum vero etiam a GLISSONIO circa partium irritabilitatem non fatis infirctus. Commutat enim fibrarum muscularium irritabilitatem cum facultate nervorum sensitiva. Partes nimurum omnes sensitivas habet manifesto irritabiles; eas, ubicunque ultra naturalem tenorem extendantur vel alioquin molestentur, in sui ab hoste vindicationem illico adsurgere, siveque, fortiter vibrando, quidquid molestum est, excutere. Quintam, si pars, quae hoc modo irritetur, membranosae ac fibrofae sit constitutionis et in concavam quoque figuram excavata, necesse esse, ut eius renitentia fiat per fibrarum omnium abbreviationem seu contractionem, unde, magis minusve angustata illius cavitate, plus minusve in eadem existentis materiae foras confertim et cum impetu quodam effundi 9).

## 8.

Percepit etiam Laurentius BELLINIUS <sup>10)</sup> necessitatem, praeter tubolorum sanguiferorum

9) CHARLETON oeconom. animal. c. 7. p. 153. (iz.  
Hag. Com. 1681.)

10) SPRENGEL l.c. p. 78.

rum structuram et compagem stimuli animalis vim in medium proferendi, quam quidem magis retulit ad sensum, et doloris speciem habuit. Definit autem stimulum ita, ut motione sit quaedam momenti maioris, cuius proinde sensus ad dolorem revocandus sit. Tum impetum nervos urgentem vel ita iis occurrere, ut ad locum occurfus partes nervorum in eo loco ad contactum positas et in ipsum nitentes et cohaerentes disiungat et divellat a se invicem, seu dividat vera et manifesta divisione, vel premere solummodo et introrsum agere seu inflectere, hoc est, dividere quidem, seu partes a naturalibus prioribus contactibus dimovere, easdem tamen ducere ad contactum aliarum.

Qui stimulus quoniam ad dolorem pertinere existimatur, flexiones in partibus sentientibus erunt citissimae et undae densissimae, unde nifus multo fortior partium fluidarum particulas dimovendi et validius exprimenti*ii*). Hinc derivatio humorum primum a **BELLINIO** e stimulo exposita fuit. Velocitas enim sanguinis maior et contractio vasorum facilior validiore affert nifum et con-

gestio-

*ii) BELLINI de sanguinis missione, p. 165. 166t (4.  
Erf. 1685.)*

gestionem humorum versus singulas partes.  
Hjuc inflammations quoque a stimulo cum  
HELMONTIO derivat 12). Quamvis praeter-  
ea BELLINIUS vim stimuli consensualem, ad  
excitandas in aliis et remotissimis quidem  
partibus actionem, cognoverit 13), tot com-  
mentis tamen de fermentatione hanc utilem  
doctrinam contaminavit, ut veram hauisse  
doctrinam de incitatione negandum sit.

## 9-

Haec quidem vestigia, utut minoris mo-  
menti, ostendunt utique, et chemicae et ia-  
tromathematicae scholae adseclas praeterito  
faeculo coepisse cognoscere partium solidar-  
um vitam et activitatem, quae haudquaque  
ab extraneo quodam aut spirituoso principio,  
seu calido innato aut spiritu insito derivanda,  
sed ad ipsam organorum solidorum compa-  
gem reducenda sit. Ea autem doctrina incre-  
menta ulteriora vix accepisset, nisi nova phi-  
losophiae lux affulgere, LEIBNITIO duce-  
coepisset, quae insignia haic systemati fulci-  
menta praebuit.

Auctor huius philosophiae, mysticis in-  
nutritus Eberardi WEIGELLI commentis,  
idea.

12) Ib. p. 168.

13) Ib. p. 200.

idealismi singularem speciem stabilivit, quae materiae quidem *du<sup>is</sup>p<sup>o</sup>s*, seu forma experti, omnem abjudicavit activitatem, eamque mere passivam habuit, cum nil nisi molem et extensionem in ea cognosceret. Cum vero prima haec materies transeat in corpus, formamque accipiat, formam hanc fieri energiam <sup>14)</sup>. Quodsi deinde corpus velut compositum ex pluribus singularibus partibus statuitur, vires corporeae etiam producuntur aggregatis viribus simplicium substantiarum, quae corpus componunt. Formales atomi sunt, non materiales, seu formae substanciales, quae causam activitatis corporeae continent. Hae atomi verae monades sunt, quibus materies adnexa impertit potentiam passivam; alioquin enim sine materie actus puri essent, seu Deus ipse <sup>15)</sup>. En idealismum singularem LEIBNITII, qui adeo mirifice effectus est, ut nulli alii nec antiquae nec novae philosophiae similis sit, media autem via incedat inter DEMOCRITI corpuscularem et PLATONIS idealem philosophiam.

## 10.

Hunc sequens virum Fridericus HOFFMANNUS, eamdem ingressus est semitam, ut

<sup>14)</sup> LEIBNIT. opp. philos. tom. II. p. 22. 46. 214.  
<sup>15)</sup> Ib. p. 145.

partium solidarum motibus explicaret omnia vivi corporis phaenomena. Deus enim, secundum ipsius doctrinam, creavit corporum elementa simplicia, invisibilia, vi ac potentia quadam motrice et resistente instructa, qua motum exferunt, omnium phaenomenorum, qualitatum, effectuum vitae, nutritionis et corruptionis, caussam et fontem <sup>16)</sup>). Summam vero activitatem corporeorum elementorum exemplis pulveris pyrii et fluidorum aeriformium e fermentantibus corporibus feso efferentium illustrat <sup>17)</sup>.

In corpore igitur humano simili plane modo omnes arbitratur operationes vi et potentia activa partium solidarum, sed iuxta leges staticas, hydraulicas et chemicas, exerceri. Fibras motrices per universum corpus extensas, propagines habet durae meningis, ducem agnoscens huius opinionis et PACHIONIUM et BAGLIVUM <sup>18)</sup>. Fibrae eae nervosae totum corpus occupantes, cordi non obtemperantes, motum per universam corporis compaginem propagant et fluida propellunt. Hinc, cum et cordis et vasorum actiones motu nitantur, alternans uterque

motus

<sup>16)</sup> Fr. HOFFMANN medic, rat. system. vol. I. p. 15. L.

<sup>17)</sup> Ib. p. 42.

<sup>18)</sup> SPRENCEK l. c. p. 220. f.

motus et durae meningis et cordis imperium corporis exerceat. Cum vero fibrae utriusque generis incitamento egeant externo, vasculos credidit addendum esse sanguinis, nervosis vero illis, seu propaginibus durae membranae, fluidum ipsum nerveum, quod revera existere, separari in ipso cerebro et ope nervorum tubulosorum ad partes propelli contendit HOFFMANNUS 19).

Sanitatis limites motuum horum ratione aequa finiri, morbum vero oriri, protinus ut haec ratio ac id aequilibrium tollatur, princeps est HOFFMANNI commentum. Turbari autem motus *adiquatos* fibrarum et nervosarum et vasculorum, duplice potissimum modo, vel spasmus orto vel atonia. Spasmi occupant vel vasa ipsa, eorumque extrema, unde febres, haemorrhagiae, inflammations; vel partes nervosas, unde dolores cuiusvis generis; vel musculos alternos, unde convulsivi motus oriuntur 20). Spasmus opponitur atonia, quae motuum signat defectum particularum inertia. Unicus hic est fons totius systematis Hoffmanniani, quod quam prope

19) HOFFMANN medic. ration. system. tom. I. p. 467.

20) *Ib.* tom. III, p. 60.

prope absit a nostrorum temporum dogmatibus, cuius elucet.

a. Recentiores systematis, quod ab incitatione nomen habet, auctores, potentiam mere passivam in materie organica agnoscunt, quam ratiociniis demonstrari posse desperant, sed ex observationibus potius et inductionibus cognoscere fatagunt. HOFFMANNUS vero cum LEIENITIO activam vim et substantialem corporis partibus largiebatur.

b. Qui incitationis doctrine nomen dant, totum corpus, quam late patet, et per omnes ipsius partes, una hac eademque potentia regi passiva autumant; HOFFMANNUS vero in nervosis partibus, membranarum cerebri propaginibus, aliam fere vim activam ac in vasis agnovit, quippe quae cordi subiiciantur.

c. Recentiores gradus rationis discerunt, quam in vi illa ac potentia observaverint, statum accumulationis et exhaustionis, debilitatem directam et indirectam distinguunt; quea omnia quam longe absint ab HOFFMANNI doctrina, manifestum est.

d. HOFFMANNUS denique magis ad nemum partium nervosarum cum ipsis meningibus

gibus respicit, et has quidem dominari per totum corpus existimat, ut, musculis ipsis nullam peculiarem vim tribuisse eum, manifestum sit. Id autem novam constituit differentiam inter ipsius systema et recentiora commenta de incitabilitate.

Transeo ad Georg. Ern. STAHLII *tonum*, seu *motum tonicum vitalem*, quem satis congruere cum vi et potentia incitabili nuperiorum nonnulli iamjam arbitrati sunt. Ab anno 1692. inde hunc motum in physiologiam et universam theoriam medicam introduxit, tanquam necessarium auxilium phaenomena varia explicandi. Is tonus enim definitur ab ipso ut motus partium solidarum molliorum densatorius et relaxatorius, sine ordine vitalis, ad sanguinis et reliquorum humorum universalium motum ad et per ipsas particulariter dirigendum, particularium humerum motum praestandum et inhaerentium solidorum non et praeternaturalium progressionem perficiendam <sup>21).</sup>

Ex observationibus potissimum practicis eruere eiusmodi motum studet, ut sanguinis

<sup>21)</sup> STAHL diss. epist. de motu tonico vitali. 4. Hal. f. a.

circuitus leges saepius inverti et turbari in statu praeternaturali pateat. Certum enim esse, nec congectiones humorum, nec spasticos adfectus, nec frigus, nec horripilationes febribles sine eiusmodi motu tonico oriri aut explicari posse. Bene quoque animadvertisit, congectiones febribles et motum vasorum auctum haudquaque ab infarctu tonico pendere, sed inversum adesse saepius sanguinis motum per venas, dum sanguinis fluxus orientur, stimulumque potius accrescere, quo adliciatur sanguis, quam mechanicam versus embolum humorum propulsionem. Ex eodem tono secretiones omnes, tum naturales, tum praeter naturales exponendas esse arbitratur.

13.

Maximi vero momenti est, STAHLIUM tono suo, plurimum quidem differentia nervorum aut muscularorum insita vi, tribuere tamen obedientiam erga animam, seu vitalem influxum animae rationalis ita in hunc motum tonicum agnoscere, ut utatur anima eo ad perficiendos effectus vitales et naturales. Hinc etiam tantum absit, ut eum tonum a mechanicis aut physicis partium dotibus pendere statuat, ut psychicum potius esse atque animae subordinatum perhibeat 22).

Ne.

22) II.

B

Negari quidem nequit, motum tonicum Stahlianum non multum abesse a recentiorum dogmate, quod solidae partes potentia quadam innata polleant, quae incitamentis externis egeat ad functiones suas perficiendas. Verum interest inter utramque doctrinam, quod STAHLIUS tono suo praefecerit animam ipsam rationalem, quae tanquam organo utatur partibus, tono eo instructis; nuperis vero temporibus, incitabilitatem haud quaque referendam esse ad animam, sed ad partium ipsarum compagem, statuuntur. Deinde etiam a provida anima, suum corpus custodiente et conservante, motus semper salubres cieri contendebant Stahliani: nuperi vero nil eiusmodi agnoscunt in effectibus incitabilitatis; posse eos quidem saluti conferre, sed fieri id physico modo, non providentia animae corpus regentis.

Tandem plurima experimenta, primis nostris saeculi decenniis instituta, ut muscularum vis et impetus in caussas suas solvatur, docuerunt, muscularis paeprimis innatam esse actuosam vim, qua motus suos exferant; a nervis autem etiam si impulsus primus oriatur, nequaquam tamen ad nervorum vim esse referendam muscularum facultatem. Alex. STUAR-

TUS

TUS experimentis speciosis eiusmedi institutis <sup>23)</sup> nondum id audaciae concepit, ut plane differentem esse utramque actionem statueret, sed immediatam et proximam motus muscularis caussam in nervorum fluidis muscularum appellantibus quaesivit.

At immortalis HALLERUS anno 1739. in commentariis ad BOERHAAVIUM primus haec verba scripsit. „Ergo cor movetur a caufsa aliqua, quae neque a cerebro, neque ab arteriis derivatur, ignota et in ipsa fabrica cordis latente <sup>24)</sup>. „Inde post tres annos alios monuit, utique omnem fibram musculararem animalem irritatam contrahit, eaque re in primis a vegetabili differre <sup>25)</sup>, et a sola perpetua irritatione fieri, ut organa vitalia pergant operari, dum animalia quiescant. In compendio vero physiologico ad vim stimuli cordis motum retulit <sup>26)</sup>, et in altera editione vim musculosae fibrae irritabilem post innumera sua experimenta diversius adseruit <sup>27)</sup>, ut eam absque nervis superesse, et ab omni alia cogente corporis proprietate diversam esse doceret.

B 2

15.

23) Philof. transact. abr. by MARTYN, vol. IX, p. 295.

24) BOERHAAV. instit. med. §. 187. not. i. tom. II<sup>a</sup> p. 129.

25) Ib. §. 600. tom. IV. p. 586.

26) HALLER prim. lin. physiol. n. 113. p. 51.

27) n. 408. p. 252.

Paullo ante HALLERUM, nequaquam faltem post eum, Joannes DE GORTER, prof. Harderovicensis, fidus et ipse magni BoER-HAAVII discipulus, eatenus ab eodem recessit, ut motus musculares manifestos distinguaret a contractione fibrarum, vi infinita producta, quae alterne agat cum musculari ipso motu eoque modo perpetuum corporis constituant mobile. Ad eam facultatem pertinere motum peristalticum, respirationem, secretiones varias, vim propriam placentae, quae sanguinem maternum in foetum impellat. Eam vim ab irritabilitate separat, etiam a vi vitali, qua superfite vis propria possit extingui<sup>28)</sup>.

Mox Theophilus DE BORDEU ab anno 1742. inde Hallerianae irritabilitati sensibilitatem seu facultatem impressiones externas percipiendi substituere conatus est, tanquam vim multo magis universum corpus dominantem. Maxime vero facultatem sentiendi in ventriculo, in cerebro et in corde residere, quae triumviratum teneant in oeconomia animali. Eam facultatem aequa differre a Stahliano animae imperio, ac a mechanismo eorum, qui leges motus generales ad corpus applicare fatigunt

<sup>28)</sup> GORTER exercitationes medicas quatuor, 4. Amst. 1737. Ej. exercitat. medic. quinta 4. ib. 1748.

gunt 29). His iunxit actionem, seu vitam propriam cuiusvis organi, cuius ope nullo modo cum reliquo corpore cohaeret, neque consensu eget, ut affectus suos edat. Haec vero quam longe absunt tum ab Halleriana irritabilitate, tum a nuperorum incitabilitates cuivis elucet.

16.

Tum vero HALLERUS doctrinam suam de irritabilibus partibus corporis animalis magis magisque stabilire firmisque experimentis munire fategit. Studuit autem praefertim irritabilitatem alienam reddere a sensilitate, nervosque excludere ab omni efficiacia in musculos immediata; eos vero tantummodo stimulum externum praebere, quo facultas muscularum in actum prolicciatur. Nihil deinde esse irritabile praeter musculos, HALLERUS, experimentis plurimis convictus, pronunciavit. Nervos praefertim, telam cellularum, tendines et membranas neque irritabilitate neque sentiendi facultate gaudere, sed sola vi contractili, qualis et mortuis partibus solidis tribuitur. Optime posse ex hac muscularium fibrarum vi declarari circuitus humorum phaenomena et congettiones, maxi-

me

29) Traité de médec. théor. et prat., extrait des ouvrages de Mr. de BORDEU, par MINVIELLE, p. 52. f. (8. Paris 1774.)

me vero inflammationes, quae male quidem ab iatromechanica schola infarctibus topicis adscriptae fuerint. Tali ratione et commoda venaefectionis, derivatis aut revulsi humoribus, luculenter apparent 30).

## 17.

Huic celeberrimae doctrinae Hallerianae de imperio irritabilitatis plurimi fere oppugnauerunt, siue maxime, qui Stahlianis commentis favebant, inter quos eminent Robertus WHYTTIUS, prof. Edinburgensis. Is irritabilium partium motum non posse a vi insita sola oriri perflixit, sed egero eam stimulo et externo et interno. Hunc potissimum esse fluidum nervum, seu spiritus animales, qui cum fine cordis actione et sanguinis circuitu secerni nequirent, circulus in explicando committitur, qui nos, ut configuramus ad immateriale aliquam caussam, quae anima sit, cogit 31). Deinde motuum spontaneorum et involuntariorum disserimen haudquamque iis circumscribi terminis, quin varii motus, e. g. iridis, sunt et voluntati subiecti, et ab ipsa alieni, unde non sine veritatis quadam species credit efficiendum esse, quod ipsi motus vitales ab anima, tanquam ultima caussa, produ-

30) HALLER opp. minora, vol. I. p. 432.

31) WHYTT's theoret. Schriften, S. 251.

ducantur 32). Deinde in alio tractatu dimicat contra angustos fines, quibus HALLERUS sentiendi facultatem et irritabilitatem coheruerit: membranas enim et sensiles esse et irritabiles, ex variis in cornea, periosteo etc. institutis experimentis evincit 33).

Secundus fuit Nicolaus LE CAT<sup>34</sup>, prof. Rothomagienfis, qui eo potissimum fine Hallerianos fines et irritabilitatis et sensitivitatis adgressus est, ut membranas varias sensu acerimo gaudere ostenderet. Ex inflammatione durae meningis, e sensu vehementi, quem varia acria durae membranae applicata producunt, e ligamentorum et tendinum inflammationibus et doloribus efficiere studet, et sensu et irritabilitate gaudere eas partes. Sed ~~ad~~ <sup>gaudētus</sup> amator, plurima alia de tendinum ortu et periosteo etc. protulit, quae consensum eruditorum hominum impediwerunt 34).

## 18.

Modum singularem doctrinae Hallerianeae protulit Richardus BROCKLESBY, cum irritabilitatem effici singularibus nervis, quae differant ab iis, qui sensum proliciant, statueret. Ceteroquin confirmavit experimen-

tis,

32) Ib. p. 253.

33) Ib. p. 550. f.

34) Sulla insensibilità et irritabilità Haller. opuscoli raccolti da FABRI, vol. II. p. 117. f.

tis, nec tendines nec membranas irritabiles esse, sed plures earum sensu solo vigere 35).

Leges irritabilitatis paullo curatius, quam ipse HALLERUS finivit Georg. Christ. OEDERUS, cum irritatione destrui tandem ac exhaudiri naturam irritabilem, inde ranam etiam diuturniore irritabilitate gaudere quam calida animalia, ostenderet. Deinde vidit nervum a corpore vulsum et irrigatum musculos quoque in actu ciere, hinc non a materia unda fluidi nervei, sed a penu spirituum existente muscularum actus citari, efficit 36).

Solam HALLERI experimentorum confirmationem sibi propofuerat Jo. Georg. ZIMMERMANNUS, archiater Hannoveranus, neque, si discesseris a remanente post mortem irritabilitate in muscularis, plura addidit 37). Alius HALLERI discipulus, Petrus CASTELL, sub auspiciis praecceptoris defendit tendinum et membranarum insensibilitatem contra CATTUM et WHYTTIUM 38).

Levi-

35) Philos. transact. vol. XLIX. V. I. p. 240. f.

36) OEDER de irritabilitate, 4. Hafn. 1752.

37) ZIMMERMANN diff. de irritabilitate, 4. Götting. 1751.

38) CASTELL experimenta, quibus constitit, varias humani corporis partes sentiendi facultate carere, 4. Göt., 1753.

Levidensia interim moverat dubia Henricus Frider. DELIUS, prof. Erlangensis, contra novam doctrinam, quae attentionem vix merebantur. Confudisse HALLERUM sentiendi facultatem cum irritabilitate, tendimibus et membranis utique tribuendam esse vim sentiendi 39). Haec dubia solvit Hermannus OOSTERDYK SCHACHT, qui, HALLERUM secutus, tendinum insenilitatem negavit, irritabilem tamen vim a nervis repetit 40). Simili modo Gerh. Andr. MÄLLER, prof. Giessensis, vim musculosam a nervis advenire statuit, adiunctis informis de composita vi nervea e musculosa vi et explosione, quae proxime accedat ad magnetissimum 41).

Nullis additis experimentis refutare HALLERUM Car. Christ. KRAEUSIUS, prof. Lipsiensis, conabatur, sensum et irritabilitatem omnibus largiens partibus. Libellus eius, leviter literis tinctus, minimi momenti instar habet 42).

19.

39) DELIUS animadversus in doctrinam de irritabilitate, 4. Erlang. 1752.

40) SCHACHT de motu musculari. 4. Traject. 1754.

41) MÜLLER'S Betrachtungen über die Art und Weise der Mitwirkung der Nerven zu denen muskulösen Zusammenziehungen. 8. Fref. 1753.

42) Abhandl. des Hrn. von HALLER von den empfindlichen u. reizbaren Theilen des menschlichen Körpers. 8. Leipz. 1756.

Exterae etiam nationes HALLERI doctrinam de irritabilitate et sensilitate, quatenus certis tantummodo partibus adiudicanda sit, non sine insignibus objectionibus admirerunt. Tum in Belgio, tum in Italia, excita sunt varia dubia, orta sunt iurgia, quae HALLERI doctrinam magis tamen firmarunt quam debilitarunt.

Primus fere Batavorum fuit Gualtherus VAN DOEVEREN, qui 1751 iam experimenta instituit, quibus, sensu praedita esse membranas et tendines, non autem perpetuo, neque in aponeurosis, evincere studuit. Irritabilitatem autem fere eodem modo definivit ac HALLERUS 43).

In Italia primum Urbanus TOSSETTI, prof. Romanus, in epistolis quatuor ad Joseph. VALDAMBRINI infensilem naturam tendinum et membranarum evicit, sensunque, si quis unquam adfuerit, a vaginis tendinum, quas nervi percurrent, derivavit 44). Idem confirmavit Caesarius Pozzi, prof. Florentinus, egregiorum experimentorum caterva 45).

Tuna

43) VAN DOEVEREN specimen observationum academiarum. 4. Groening. 1765.

44) Raccolta di Fabri vol. I. p. 166, L.

45) Ib. p. 220.

Tum etiam adsenfus est Jo. Vincentius PETRINI, qui hos libellos edidit 46).

Contra haec adserita adversarii plures surrrexerunt: Dominicus VANDELLI ferro candente sensum excitare studuit in tendinibus, quibus nervos cutaneos donat 47). Jo. Michael LAMBERTI sensum quidem nullum naturali statu in membranis aedesse fatetur, inflammata tamen meningem utique dolere 48). Marc. Antonius CALDANI confirmavit numerosis experimentis HALLERI dogmata, maxime de insenfilitate durae meningis, cum vidisset manifesto motum spurium in dura meninga fuscitari, extravasato potius sanguine 49). Eodem modo irritabilitatem Hallerianam tuetur Jo. Franc. CIGNA, prof. Taurinensis, addita specifica cuiusvis organi irritabilitate 50), qua functiones et secretiones in primis perficiantur. Cum ipso CIGNA Jo. Bapt. VERRA, chirurgus Taurinensis, insenfilitatem membranarum et tendinum confirmavit 51). Adsenfus est HALLERO; experi-

men-

46) Ib. p. I. f.

47) Ib. P. II. p. 76.

48) Ib. tom. II. p. 56.

49) Ib. tom. I. p. 291.

50) Ib. p. 237. 344.

51) Ib. P. II. p. 142.

mentis speciosis convictus, Horatius Maria PAGANI, discrimen inter contractilitatem et irritabilitatem egregie itabiliens 52).

21.

Acrem se gessit adversarium novae doctrinae Jo. Baptista BIANCHI, prof. Taurinensis, in epistola ad BASSANUM 53). Se faepius percepisse, sensu insigni praeditam esse corneam, doloresque summos excitari, ubi tendines, periosteum aliaeve partes vulneratae fuerint. TOSETTUM experimenta sua in foliis brutis instituisse, in homine autem longe aliter se rem habere.

BIANCHI observationibus convictum se fassus est Sylvester PONTICELLI DI GARGNANA: cuique itaque parti et sentiendi facultatem et irritabilitatem tribuendam esse, differre tantummodo pro diversa partium structura, aut pro differenti nervorum compagine, ut in variis partibus debilis, in aliis vividus adsit et sensus et motus 54). Minoris momenti sunt, quae Dominicus SANSEVERINI, prof. Neapolitanus, dubia movit; fassus quidem, cerebrum vulnerari posse absque dolore, ut et duram meningem: nullo vero modo concipi posse, quod origo nervorum

rum

52) Ib p. 154. f.

53) Ib. tom. II. p. 2. f.

54) Ib. p. 53.

rum sensu destituatur, nervi vero ipsi omnibus partibus sentiendi facultatem imperiant 55). Multo audacius adgressus est HALLERUM Thomas LAGHI, qui membranis non nervos solum generatim traxit, sed cum WINSLOVIO ipsi durae membranae furculos dedit e quinto pare prodeuntates 56). Antonius ARRIGONI bene sensit, in experimentis institutis facile quemvis observatorem falli potuisse, ideoque summa cautela opus esse, deinde discrimen illud Hallerianum inter irritabilitatem et sensilitatem haudquaquam in omnibus ostendi posse partibus. Eamdem enim vim esse, quae sensum et quae motum producat 57). Ex morborum potius phaenomenis variarum partium sensum exposuit Carolus Michael LOTTERI 58), prof. Taurinensis.

Denique Felix FONTANA, prof. Pisanus, nostri saeculi decus, insignibus experimentis doctrinam de irritabilitate et sensilitate partium maxime ornavit et illustravit. Tendines perpetuo insensiles esse, duram quoque

55) *Ib.* p. 67.

56) *Ib.* p. 113.

57) *Ib.* p. 137.

58) *Ib.* p. 278.

matrem in homine absque ullo sensu lacerari posse. Cellulofam telam id fuisse, quod LAGRUS pro nervis, duram membranam per reptantibus, haberit. Nervos nihil ad contractiones muscularum immediate conferre. His addidit illustris vir leges irritabilitatis, quae stimulis perpetuo obtemperet 59).

Pedem hic figere ac finem commentariolo meo imponere cogor. Varia utique vestigia recentissimae doctrinae de irritabilitate et incibilitate hic colligere conatus sum, quae ad nostra usque tempora quaerere et conferre alii et digniori quidem calamo relinquam.

59) Ricerche filosofiche sopra la fisica animale, 4. Flor.  
8775.

Halle, Disc, 1795/1800



Sl.

vel 18



**Farbkarte #13**



DOCTRINAE  
DE  
**SOLIDO VIVO**  
**ORIGINES,**

1799/4  
UT  
CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE HALENSIS  
SUMMOS IN  
**MEDICINA ET CHIRURGIA**  
HONORES

LEGITIME ACQUIRAT,  
DIE XXIX MART. MDCCXCIX.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
OFFERT  
AUCTOR  
DIDERIC. LEOPOLD. ZIMMERMANN,  
CURONUS.

HALAE,  
TYPIS TRAMPIANIS,